

CAP. XIII.

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS.

242. — *Virtutes Cardinales generatim.* — (Vide cap. XI per totum.) I. Quatuor sunt virtutes cardinales: prudentia, fortitudo, temperantia, justitia. Quatuor sunt quae prudentia nos docet: scilicet praeterita recordari, disponere praesentia, futura praevidere et dubia suspendere. In quatuor fortitudo nos instruit: scilicet prosperos in superbiam non erigi, adversos ad ima non detrudi, injuriae non sumere vindictam, et jucundam non sumere vitam. In quatuor temperantia nos admonet: scilicet circumcidere superflua, restringere desideria, ab illicitis abstinere, et blandimenta rejicere. In quatuor justitia nos edocet: scilicet honeste vivere, alterum non laedere, sobrie judicium discurrere, et unicuique jus suum tribuere (S. Th. *de vit. et virt.*). — II. Quia virtus perfecta est constans et firmus *ordinis amor*, merito S. Aug. *De Mor. Ecc.* c. 15, ait: « Temperantia est amor integrum se praebens ei quod amatur; fortitudo, amor facile tolerans omnia propter quod amatur; justitia, amor soli amato serviens; prudentia, amor ea quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens ». Unde « in hac vita virtus non

est nisi diligere quod diligendum est: id eligere prudentia est: nullis inde averti molestiis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia est: nulla superbia, justitia est » (id. *ep.* 52, *ad Maced.*). — III. Oportet quod temperantia sit prudens, justitia fortis, prudentia sobria, fortitudo justa (S. Bonav. 1, 6, *Hex.*). Prudentia rectificat vim rationalem, fortitudo sive magnanimitas irascibilem, temperantia concupiscibilem, justitia omnes vires (id. *de 4, virt. Card.*).

ART. I. — De Prudentia.

243. — *Notio Prudentiae.* — I. Prudentia *etymologice* idem sonat ac *procul* videns et « prudens quasi porro videns: perspicax enim est et incertorum praevidet casus » (S. Isidor.). — II. PRUDENTIA SIC DEFINITUR: Virtus moralis qua discitur quid in quolibet negotio agendum sit vel fugiendum: vel recta ratio rerum a nobis agibilem (S. Antonin.). Cui concordat S. Th. dicens: « Sicut ars est recta ratio factibilem, sic prudentia est recta ratio agibilem » (1, 2, q. 58, a. 2). — III. Ejus objectum sunt actiones humanae particulares quatenus judicantur conformes vel disconformes cum veritate hic et nunc practica. Unde, prudentia licet sit virtus intellectualis moralis, quia et mentem perficit in veritatis speculatione, et voluntatem dirigit in boni prosecutione; communiter tamen adnumeratur inter virtutes morales utpote opus et praxim potissimum respiciens.

Ergo merito prudentiam definivit Aug.: rerum appetendarum fugiendarumve scientiam.

244. — **Divisio.** — I. Juxta D. Th. PARTES INTEGRANTES PRUDENTIAE SUNT: 1° *Memoria*, ex qua nascitur experientia. — 2° *Intelligentia* (praesentium et primorum principiorum practico- rum cognitio). — 3° *Providentia* (praescientia). — 4° *Ratio* (promptitudo ratiocinandi). — 5° *Docilitas* (ad sciendum ex aliis prudentibus). — 6° *Solertia* (seu sagacitas ad applicanda media). — 7° *Circumspectio* (attenta omnium circumstantium consideratio). — 8° *Cautio* (ad vitanda incommoda, et cavendum ne sub specie boni, voluntas applicetur malis).

II. PARTES SUBJECTIVAE SEU SPECIES PRUDENTIAE SUNT: 1° *Monastica* (seu *personalis* sive *solitaria*: moderat seipsum). — 2° *Economica* (ad recte gubernandam familiam). — 3° *Politica* (seu civilis: ad bene administrandam rempublicam). — 4° *Legislativa* (seu *Regalis*: Supremorum Capitem). — 5° *Militaris* (ad recte militandum).

III. PARTES POTENTIALES SEU OFFICIA PRUDENTIAE SUNT: 1° *Eubulia* (latine, *bona consultatio*). — 2° *Synesis* (latine sensate discernere, seu recte judicare). — 3° *Gnome* (latine sententia, pronuntiatum aut imperium: ad praxim reducit quod bene consultatum et judicatum est).

245. — **Prudentiae opponuntur per defectum.** — 1° *Eubuliae* opponitur *praecipitatio*; 2° *Synesi* *inconsideratio*; 3° *Gnomini* *inconstantia* et *negligentia*.

246. — **Prudentiae opponuntur per excessum:** 1° *Prudentia carnis* (naturae corruptae indulget: unde inimica est Deo). — 2° *Astucia* seu *Calliditas* aut *Versutia* (excogitat media ad fallendum). — 3° *Dolus* (executio astuciae seu Machinatio ad fallendum). — 4° *Fraus* (executio astuciae per facta). — 5° *Nimia sollicitudo temporalium*.

247. — **Virtuti prudentiae correspondet donum consilii**, quod se extendit non solum ad actum consilii, sed etiam ad actum iudicii, et imperii: denominatur tamen a consilio, ubi in mente consiliata, potius apparet motio Spiritus Sancti, quam in iudicio, et imperio quibus mens videtur seipsam, et alios movere, non autem moveri. Huic dono correspondet quinta beatitudo: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Non assignat apostolus inter duodecim fructus, aliquem pro dono consilii, vel pro virtute prudentiae; cujus ratio est, quia fructus importat rationem ultimi; non est autem ultimum in intellectu practico, sed in operatione alterius potentiae directae per cognitionem practicam, quae operatio dabitur, ut fructus charitati, misericordiae, vel alteri virtuti, qua eliciatur, non autem prudentiae vel dono consilii. — Ant. a Spir. S. Cfr. D. Th. 1, 2, q. 47, etc.

248. — **Actus prudentiae.** — 1° Nihil agere quod postea debeas deplorare. — 2° Ne mireris ob eventus qui accidunt, nihilque inexpectatum in terra habeas. Fuge peccatum ut verum malum, et patienter tolera adversitates. — 3° Ob casus adversos nullatenus turberis: sed ora, Deum cogita.

249. — **Dignitas prudentiae.** — I. Prudentia vocata fuit a D. Bonav. « Auriga virtutum »: ipsaque « docet quomodo praesentia ordines, quomodo praeteritorum recorderis, et futura quotidie provideas » (S. Aug.).

250. — **Monita.** — I. Sollicite cura ut per prudentiam saluti tuae consulas, et non tantum alieno bono: « Quid, o homo, in omnibus es prudens, et circa teipsum es insipiens? » (S. Bern. *serm. de miser. hum.*). — II. Cave ne superbia elatus prudentem valde te existimes, et tibi aliisque nocumentum inferas: « Qui suo judicio prudens est, is te et monita aspernitur, et in contrariam sententiam trahitur, et ei qui dat consilium fit adversarius » (S. Justin.). « Ergo prudentes alios esse existimare debemus, nec prudentiam nobis tribuere et quasi vendicare » (id.).

ART. II. — De Justitia.

251. — **Notio justitiae.** — I. Justitia sumitur 1° pro gratia sanctificante; 2° pro complexione omnium virtutum; 3° pro speciali virtute morali, de qua agimus. Unde. — II. JUSTITIA DEFINITUR ab AA. cum D. Th.: *perpetua et constans voluntas jus suum unicuique tribuens*: S. Bonav. iisdem concordat et alias etiam tradit justitiae definitiones. Sic ait: *Justitia est quaedam animi nobilitas suam cuique tribuens dignitatem. Superioribus reverentiam, paribus concordiam, inferioribus disciplinam.* —

III. Objectum justitiae sunt res alteri debitae et reddendae, prout stricte debitae, et ad aequalitatem reddendae. — IV. *Jus* est id quod justum et aequum est, sive: illud quod inter extrema vitiosa est medium.

252. — **Divisio.** — I. PARTES SUBJECTIVAE SEU SPECIES JUSTITIAE SUNT: 1° *Justitia distributiva* et *Justitia commutativa*. *Justitia distributiva* servat aequalitatem seu proportionem *geometricam*, seu servat medium *rationis*. *Justitia vero commutativa* servat proportionem *arithmeticam* seu medium *rei*. — Vide alia in *Theol. Moral.*

II. PARTES INTEGRANTES JUSTITIAE SUNT: 1° *Declinare a malo.* — 2° *Facere bonum.*

III. PARTES POTENTIALES JUSTITIAE, seu illae quibus veluti facultatibus actus suos justitia exercet, sunt: 1° *Religio* (erga Deum). — 2° *Pietas* (erga parentes, etc.). — 3° *Observantia* ad quam reducitur *obedientia* (honor et obsequium Superioribus). — 4° *Veritas* seu *veracitas*. — 5° *Gratia* seu *gratitudo* (erga Deum, parentes, benefactores). — 6° *Vindicta* (spectat ad judices et similes). — 7° *Liberalitas* (recta ratio pecunias dandi et accipiendi). — 8° *Amicitia* (qua aliqui ad invicem mutua apertaque benevolentia se bonis afficiunt, causa honestatis et non tantum utilitatis). — 9° *Affabilitas* (qua in vitae consuetudine faciles et gratos ut decet, nos exhibere studemus).

253. — **Opponitur justitiae** partibus potentialibus: 1° Religioni, irreligiositas; 2° Pietati, impie-

tas; 3° Observantiae, *inobservantia*; 4° Veritati, *mendacium*; 5° Gratiae, *ingratitude*; 6° Vindicationi *excessiva clementia*; 7° Liberalitati, *avaritia* et *prodigalitas*; 8° Amicitiae, *inimicitia*; 9° Affabilitati, *adulatio* et *asperitas*.

254. — **Religio** est *virtus moralis, per quam Deo, tanquam primo rerum omnium principio, cultus exhibetur.* — *Ejus actus interni sunt DEVOTIO et ORATIO.* (*Devotio* est generalis actus Religionis a quo coeteri omnes informari debent, et a D. Th. definitur: « *voluntas efficax se prompte tradendi ad ea quae pertinent ad Dei famulatum* ».) *Externi vero: ADORATIO, SACRIFICIUM, VOTUM, etc.*

255. — **Notandum circa devotionem.** — I. *Devotio* derivatur a verbo *deveo*; et sumitur pro propensione particulari animi ad Deum. — II. Causa extrinseca devotionis est Deus; intrinseca, meditatio.... *Devotio* praesupponit charitatem; differt tamen a charitate.... — III. *Devotio* est **SUBSTANTIALIS** SEU **INTELLECTUALIS** (memento quod *devotio* principaliter est actus voluntatis; minus principaliter, actus intellectus), *cujus promptitudo nititur in consideratione principiorum fidei, et sufficit ad devote in substantia operandum; vel ACCIDENTALIS, integralis seu affectiva, quando, dictae promptitudini accedit suavis quaedam affectio, quae ineffabili modo dura quaeque in via Domini suavia efficit (si tantum interius sit sensibilis, vocatur affectiva simpliciter; si exterius per lacrymas, etc., vocatur devotio sensibilis).* — IV. *Devotio substantialis* absolute petenda; nec

est sine dulcedine intellectuali. *Accidentalis* vero petenda conditionate. Scito quod sublatis delectationibus carnalibus, faciles sunt spirituales. — V. *Devotio* etiam sensibilis procuranda est (et omnino errant contrarium asserentes) ut vitae perfectae valde conducens: « *Gustate et videte quoniam suavis est Dominus* » (*Ps. 33*). Hinc *Cat. Rom.* ait: « *Lacrymae in contritione summopere optandae et commendandae sunt* ». Utraque *devotio* obtinetur humilitate, oratione et mortificatione. — VI. Cessante aut tardante sensibili devotione, noli turbari, sed humiliter expecta, ora, fortiter persevera in consuetis exercitiis, et magnum erit animae lucrum, et Deus in tempore opportuno visitabit te.

256. — **Virtuti justitiae, ratione religionis annexae, correspondet donum pietatis, secundum quod Deo ut Patri cultum, et debitum officium exhibemus ex instinctu Spiritus Sancti. Huic dono correspondet secunda beatitudo: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram; quamvis juxta propriam ipsius rationem, ei respondeat tam quarta, quam quinta beatitudo; quarta quippe dicitur: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Quinta vero dicitur: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur: Justitia autem, quam sitiunt, habet connexionem cum dono pietatis, et opera misericordiae pertinent ad pietatem.** *Ant. a Sp. S. Cfr. D. Th. 2, 2, passim.*

257. — **Actus justitiae.** — Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quaecumque vultis ut faciant

vobis homines, et vos facite illis (Matth. 8, 12). Esto fidelis in promissionibus Deo et hominibus factis, et caeteris debitis quibus erga Deum et homines obstringeris. Ergo, 1° nulli damnum inferas verbo, consilio, facto; 2° bonum alterius promove; 3° nihil ultra necessitatem pete; 4° conserva humilitatem et charitatem et justitiam circa munera et dignitates; 5° si Superior es zelare debes observantiam legum, commodis subditorum incumbere, et mala ab ipsis avertere, etc. Vid. n. 252. Cfr. Theol. Mor. circa obligationes dimanantes ex justitia distributiva, commutativa et legali.

258. — Dignitas justitiae. — I. Ejus officium innumera et quasi infinita attingit, juxta illud S. Hieron. (*ep. 14 ad Celan.*): « Infinitae sunt species partesque justitiae, quas non modo stilo persequi, sed cogitatione etiam capere, difficillimum est ». — II. « O justitia, qui te amaverit, qui te stringerit, cum Moyse mare mundi vitiorum sanguine rubricatum, sicco vestigio pertransivit » (S. August.). — III. « Tantum quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit » (*id. ep. 144*).

ART. III. — De Fortitudine.

259. — Notio fortitudinis. — I. Fortitudo quam Aristot. vocat: « Mediocritatem inter audaciam et timorem constitutam », proprie definitur: *Virtus cardinalis inclinans voluntatem hominis ad peri-*

cula mortis tempore et loco debito aggredienda, et ad labores perferendos pro consecutione boni necessarios; vel juxta alios: virtus moderatrix timoris in periculis, ubi et quando ratio praecipit, adeundis, aut adversis rebus sustinendis. — II. Ejus objectum sunt pericula et labores, quatenus ad honestatem homo circa illa moderate se habet.

260. — Divisio. — I. PARTES SUBJECTIVAE istius virtutis sunt: 1° *Magnanimitas* (ad omne arduum ex motivo propriae honestatis). — 2° *Patientia* (temperat animi moerorem ob adversa, et mala aequanimiter tolerat). — II. PARTES INTEGRANTES FORTITUDINIS sunt: 1° *Fiducia* seu *confidentia*. — 2° *Magnificentia* (ad faciendos magnos sumptus, ubi et quanto juxta rectam rationem expedire videtur: continet pecuniae contemptum). — 3° *Perseverantia* seu *constantia* (non frangitur diurnitate, difficultate, etc.).

261. — Opponitur. — I. OPPONITUR FORTITUDINI: — 1° *Temeritas* seu *audacia* (quae aggreditur pericula ubi et quando non oportet); 2° *Timiditas* seu *ignavia* (quae nihil audet...). — II. MAGNANIMITATI OPPONITUR PER EXCESSUM: — 1° *Praesumptio* (ex nimia fiducia aggreditur quod est supra vires); 2° *Ambitio* (nimis appetendo honores). PER DEFECTUM vero: *Pusillanimitas* (facile imparem se reputat). — III. PATIENTIAE OPPONITUR — 1° *Impatientia* per excessum; 2° *Insensibilitas*, per defectum (insensibilitas nec suis nec aliorum malis tangitur). — IV. FIDUCIAE OPPONITUR — 1° *Audacia*; 2° Pu-

sillanimitas (ut dictum est de fortitudine). — V. MAGNIFICENTIAE OPPONITUR — 1° *Profusio pecuniae* (contra rectam rationem); 2° *Parvificentia* (in decenter sumptus faciendos). — VI. PERSEVERANTIAE OPPONITUR. — 1° *Pertinacia* (continuando incepta cum non oportet); 2° *Inconstantia* quae etiam vocatur *mollities animi* (irrationabiliter et faciliter desistendo ab incepto).

262. — *Virtuti fortitudinis correspondet donum Spiritus Sancti ejusdem nominis, per quod donum fortitudinis altero modo roboratur et movetur animus contra pericula, simulque conceditur fiducia, et magna securitas triumphandi de inimicis Dei per tolerantiam passionum. Huic dono correspondet quarta beatitudo: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Ex fructibus autem enumeratis ab Apostolo correspondet tam virtuti, quam dono fortitudinis, patientia et longanimitas: patientia quidem, quae est actualis tolerantia malorum, qua quis possidet animam suam; longanimitas autem, qua suffertur expectatio diuturna bonorum.* — Ant. a Sp. S. Cfr. D. Th. *passim*.

263. — *Actus fortitudinis.* — 1° Mortis pericula, imo ipsam mortem intrepide, quando opus sit, sustinere, praesertim in causa fidei et heroicae erga peste laborantes charitatis. Unde *Martyrium* est nobilissimus fortitudinis actus. — 2° Quaelibet alia pericula propter defensionem virtutum fortiter pro Deo et propter Deum tolerare. — 3° Tentationes intrepide sustinere et fortiter rejicere (de propriis

viribus diffidendo, sed in Domino firmiter sperando et Deum orando). — 4° Mentem in adversis et prosperis roborare ad vitandam superbiam et desidi- am, etc. — 5° Mentis tranquillitatem in adversis casibus retinere. — 6° Ardua prudenter et cum magna in Deum fiducia aggredi. — 7° Pericula vires nostras excedentia, sine anxietate vitare. — 8° Seipsum constanter generose vincere et abnegare. — 9° In oratione fideliter, fortiterque, non obstante difficultate, perseverare, quando magna instant pericula, et mens multum agitari incipit, ut animus serenitatem conservet, etc. — Ergo Deum considera, et quando opus erit, omnia poteris in eo qui te confortabit.

264. — *Dignitas fortitudinis.* — I. Maxime decorata fuit exercitu ultra 24.000.000 Martyrum.... — II. Ille magnus, ille sublimis, ille potens atque dignus fortitudinis appellatione censendus est, qui nihil sibi vitii rebellare, aut dominari permiserit (S. Prosper.). — III. Fortitudine stat homo in adversis inconcussus, in repentinis imperterritus (B. Alan. de Rupe). — Vide tamen ut tua fortitudo sit genuina: Fortitudinem gentilium, mundana cupiditas: fortitudinem autem christianorum Dei charitas facit (S. Prosper.). — Memento quod vir fortis contra carnales tentationes, ille est qui fugit. Noli ergo in immunditiis quasi cum Diabolo conversari, ut alibi dictum est. — Fortitudinem comitetur humilitas.

ART. IV. — De Temperantia.

265. — Notio Temperantiae. — I. Temperantia DEFINITUR: *Virtus moralis, quae juxta rectae rationis dictamen, moderatur affectum, usumque voluptatum gustus et tactus: VEL MELIUS: Virtus refraenans ac moderans inordinatos appetitus, et concupiscentias ac voluptates corporis, quibus praesertim gustus et tactus afficiuntur.* — II. Ejus objectum sunt delectationes corporeae quatenus honestae vel inhonestae. — III. Hinc « temperantia est virtus, sine qua omnis virtus est sine modo, quasi aequus sine fraeno » (S. Bonav.): estque « amor Deo sese integrum, incorruptumque conservans » (id.); diciturque et merito, quod « temperantia modum ordinemque servat omnium, quae vel agenda, vel dicenda arbitramur » (S. Ambros. *de Off.* c. 24).

266. — Divisio. — I. PARTES SUBJECTIVAE SEU SPECIES TEMPERANTIAE SUNT: 1° *Abstinentia* (circa exulenta). — 2° *Sobrietas* (circa poculenta). — 3° *Castitas* (circa venerea): estque *virginalis, vidualis, conjugalis*. — 4° *Pudicitia* (moderatur oscula, tactus, amplexus; estque perturbatio animi de iis quae dedecus inferre videntur).

II. PARTES POTENTIALES TEMPERANTIAE SUNT: 1° *Continentia* (contra concupiscentiae motus). — 2° *Humilitas* (virtus inclinans hominem ad sui vilitatem ingenue profitendam, et temperans inordinatum ap-

petitum tendendi ad excelsa). — 3° *Mansuetudo* (moderatur vim). — 4° *Clementia* (moderatur vindictam). — 5° *Studiositas* (moderatur sciendi cupiditatem). — 6° *Modestia* (debito modo continet in verbis, factis, vestibus et rerum usu, juxta conditionem proprii status). — 7° *Eutropelia* seu *Urbanitas* (moderat recreationes).

III. PARTES INTEGRANTES TEMPERANTIAE SUNT: — 1° *Verecundia* (retrahit ab inhonestis et turpibus cupiditatibus). — 2° *Honestas* (retrahit ab inhonestis voluptatibus, inclinaturque ad decorem in earum fuga relucentem).

267. — Opponitur temperantiae: 1° *Insensibilitas* seu *stupor* (fugiendo corporeas delectationes omnes, etiam necessarias ad vitam). — 2° *Intemperantia* (appetendo inordinate voluptates et honores). — 3° *Gula*. — 4° *Luxuria*. — 5° *Impudicitia*. — 6° *Incontinentia*. — 7° *Superbia*. — 8° *Iracundia*. — 9° *Crudelitas* (contra clementiam). — 10° *Curiositas* (contra studiositatem). — 11° *Immodestia*. — 12° *Scurilitas* seu *inurbanitas* (contra eutropeliam seu urbanitatem). — 13° *Inverecundia*. — 14° *Impudentia* (contra honestatem), etc.

268. — *Virtuti temperantiae correspondet donum timoris quo quis refraenatur a delectationibus carnis, juxta illud Psalm.: Confige timore tuo carnes meas* (Ita D. Th. 2, 2, q. 141, a. 1, ad 3). Donum timoris principaliter respicit Deum, cujus offensam vitat, et secundum hoc correspondet virtuti spei; secundario autem potest respicere quaecumque ali-

quis fugit ad vitandam Dei offensam; maxime autem homo indiget timore divino, ad fugiendum ea, quae maxime alliciunt, circa quae est temperantia, et ideo temperantiae etiam correspondet donum timoris. Huic autem dono ut conjuncto virtuti temperantiae correspondet haec beatitudo: *Beati mites, quia ipsi possidebunt terram*; et ex fructibus correspondent castitas, et continentia (Ant. a Sp. S. — Cfr. D. Th. *passim*).

269. — **Actus temperantiae:** 1° Abstinere ab illicitis; 2° Moderare licita; 3° Debito modo a delectationibus licitis saepe abstinere.

270. — **Dignitas temperantiae.** — I. « Temperatum omne tam Deo quam hominibus est acceptabile » (V. Beda, *prov.*). — II. « Temperantia temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum. Libidines fraenat, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat. Omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat » (S. Prosper. l. 3, *de Vit. contempl.* c. 19).

REQUIES ANIMAE.

Mariam cogita. — O quam innumeri peccatis dediti jam Deum deseruerant, omnemque coelestis patriae coetum, Deumque ipsum abjurarant ac negarant, et in desperationis voraginem sese praecipites dederant, atque a Deo misere separati erant, qui tamen tibi innitentes, atque

ad te confugientes, a te benignissime servati sunt, donec te intercedente apud Deum, in gratiam restituerentur (B. Henr. Suso, *Dialog.* c. 16).

Mariam invoca. — Sub tuo regimine, Domina, volo de caetero militare, et me totaliter tuae dominationi committo, ut me plenarie regas et gubernes (S. Bonav. *Stim. amor.* p. 3, c. 19).

Mariam laetifica. — Exultans ergo et admirans magnitudinem Matris nostrae (*et magnam ejus misericordiam*), devote et reverenter ad ipsam accedens dicito: *Salve.* — *Ut sim servus Filii, servitutem appeto Genitricis* (S. Ildef.).